

LECTIONES PRO MISSIS AD DIVERSA

PRO PRÆDICATORIBUS

LECTIO PRIOR

1

*Placuit Deo per stultitiam prædicationis
salvos facere credentes.*

Lectio Epistolæ primæ beāti Pauli apóstoli
ad Corínthios 1, 18-25

Fratres:

Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.

Scriptum est enim: « Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo ». Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam huius mundi?

Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultitiam prædicatiónis salvos fácere credétes.

Quóniam et Iudæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt; nos autem prædicámus Christum crucifixum, Iudæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis, Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam, quia quod stultum est Dei sapiéntius est homínibus, et quod infirmum est Dei fórtius est homínibus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 95, 1-2a. 2b-3. 7-8a. 10 (R.: 3)

R. Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. R.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. R.

Afférte Dómino, familiæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
afférte Dómino glóriam nóminis eius. R.

Dícite in géntibus: « Dóminus regnávít! ».
Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. R.

2

*Prædicamus Iesum Christum;
nos autem servos vestros per Iesum.*

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios

4, 1-2. 5-7

Fratres:

Habéntes ministratiónem, iuxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicávimus occúlta dedécoris non ambulátes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Iesum Christum Dóminum, nos autem servos vestros per Iesum, quóniam Deus, qui dixit: « De ténebris lux splendéscat », ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Iesu Christi.

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei et non ex nobis.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 24, 4-5ab. 6-7bc. 8-9. 10-14 (R.: cf. 10)

R. Univérsæ viæ tuæ, Dómine, misericórdia et véritas.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi
et sémitas tuas édoce me.Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. R.Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sæculo sunt.
Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. R.Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. R.Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas
custódiéntibus testaméntum eius et testimónia eius.Propter nomen tuum, Dómine,
propitiáberis peccáto meo: multum est enim. R.

Quis est homo, qui timet Dóminum?

Docébit eum viam, quam éligat.

Anima eius in bonis demorábitur,
et semen eius hereditábit terram. R.

EVANGELIUM

1

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

Io 15, 15b

R. Allelúia. V. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis.

R. Allelúia.

Vel: Io 17, 17ba

R. Allelúia. V. Sermo tuus, Dómine, véritas est;
sanctífica nos in veritate.

R. Allelúia.

*Ego misi eos in mundum:
sanctifica eos in veritate.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 11b-19

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, conserva eos in nómine tuo, quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos.

Cum essem cum eis, ego servábam eos in nómine tuo, quod dedísti mihi et custodívi, et nemo ex his périit nisi filius perditionis, ut Scriptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis.

Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus ódio eos hábuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.

Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex Malo.

De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritate; sermo tuus véritas est. Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum; et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritate ».

Verbum Dómini.

2

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Mt 28, 19a. 20b

R. Allelúia. V. Euntes docéte omnes gentes, dicit Dóminus;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummationem sæculi.

R. Allelúia.

Euntes docete omnes gentes.

✠ Lécio sancti Evangelii secúndum Matthæum 28, 16-20

In illo témpore:

Undecim discípuli abiérunt in Galiléam, in montem ubi constitúerat illis Iesus; et vidéntes eum adoravérunt, quidam autem dubitavérunt.

Et accédens Iesus locútus est eis dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummationem sæculi ».

Verbum Dómini.

PRO CAPITULO NECNON
IN CONVENTU SPIRITALI VEL PASTORALI

Lectiones ad Missas pro Concilio vel Capitulo necnon Conventu Spirituali vel Pastoralis sumuntur e Lectionario Romano (III, pp. 617 sqq.).

LECTIONES PRO MISSIS VOTIVIS

In Missis votivis de SS.mo Nomine Iesu, de Christo patiente, de
B. Maria Matre Ecclesiæ, lectiones e Lectionario Romano sumuntur
(III, pp. 791 sqq., 841 sqq., 851 sqq., 258 sqq.).

PATROCINIUM B. MARIÆ VIRGINIS

I

LECTIO PRIOR

Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo.

Lectio Epistolæ beāti Pauli apóstoli ad Ephésios 1, 3-6. 16-19

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cælestibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutióne, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritate, qui prædestinávit nos in adoptiÓnem filiÓrum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátia suæ, in qua gratificávit nos in Dilécto.

Non cesso grátias agens pro vobis memóriam fáciens in oratiÓnibus meis, ut Deus Dómini nostri Iesu Christi, Pater glóriæ, det vobis Spíritum sapiéntiæ et revelatiÓnis in agni-tióne eius, illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiÓnis eius, quæ divítia glóriæ hereditátis eius in sanctis et quæ sit superéminens magnitúdo virtútis eius in nos, qui crédimus, secúndum operatiÓnem poténtiæ virtútis eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Is 12, 2-3. 4cd. 5-6 (R.: 4b)

R. Confitémini Dómino et invocáte nomen eius.

Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

Et hauriétis aquas in gáudio de fÓntibus salútis. R.

Notas fácite in pópulis adinventiões eius;
mementóte quóniam excélsus est nomen eius.
Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit:
notum sit hoc in univérsta terra. *R.*

Exsúlta et lauda, quæ hábitas in Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. *R.*

ALLELUIA

R. Allelúia. *V.* Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima:
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster.
R. Allelúia.

EVANGELIUM

Perficiuntur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-47

In illo témpore:

Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatiónem in civitátem Iudæ, et intrávit in domum Zachariæ et salutávit Elísabeth.

Et factum est ut audívit salutatióem Mariæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spírítu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna et dixit: « Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatióis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo.

Et beáta, quæ crédidit, quóniam perficiéuntur ea quæ dicta sunt ei a Dómino ».

Et ait María: « Magníficat ánima mea Dóminum. Et exsultávit spírítus meus in Deo salvatóre meo ».

Verbum Dómini.

II

LECTIO PRIOR

Det vobis virtute corroborari.

Lectio Epistolæ beāti Pauli apóstoli ad Ephésios 3, 14-19

Fratres:

Flecto gēnua mea ad Patrem, ex quo omnis patrēnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum eius in interiorem hóminem; habitáre Christum per fidem in córdibus vestris; in caritáte radicáti et fundáti, ut valeátis comprehendere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo et longitúdo et sublímítás et profúndum, scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 15, 1-2a et 5. 7-8. 11 (R.: 5a)

R. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:

tu es qui détines sortem meam ». R.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum,

ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.

Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,

quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R.

Notas mihi fácies vías vitæ,

plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,

delectatiónes in dextera tua usque in finem. R.

ALLELUIA

Cf. Lc 2, 19

R. Allelúia. V. Beáta est María Virgo,
 quæ sine morte méruit martýrii palmam
 sub cruce Dómini.
 R. Allelúia.

EVANGELIUM

Ecce filius tuus. Ecce mater tua.

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius
 María Cléopæ et María Magdaléne.

Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem
 quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce filius tuus »; deín-
 de dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

 PRO MISSIS DEFUNCTORUM

Lectiones seliguntur inter eas quæ in Lectionario Romano (III, p. 889) proponuntur. Si particularis occasio adest, adhiberi possunt etiam quæ pro Anniversariis indicantur (pp. 312, 368, 392).